

pti, duriter habiti, periculum aliquoties vitae adie-
runt, quam satis diu siue inter feras in syluis, siue
in exilio Basileae, famem quoque, frigora, tempe-
states tolerarunt. Vnde postquam sacris vndis ad-
motus et in baptismale foedus receptus esset noster,
carissima mater, adhuc puerpera, non sine in-
genti vitae discrimine cum eodem, adiunctis dua-
bus sororibus se natu maioribus, Basileam conces-
sit, patre interea foris de qualicunque vietu ipsis
prospiciente. Hic per nouennium fere substitit
et fidis praceptoribus, cognatis suis, concreditus,
prima ante omnia christianismi fundamenta ab iis-
dem cum aliquali graecae et romanae linguae no-
titia haufit. Quod mirificum parentum in se stu-
dium operamque in tanta rerum et temporum ca-
lamitate, profusius innumeris lacrymis gratissimo
semper animo depraedicauit, qui et postea nil quid-
quam intermiserunt, quod vel ad ornandum, vel per-
poliendum pueri ingenium quomodo cunque face-
re videbatur. Qum enim anno clo Ioc xlv. opta-
ta patriae pax paulatim redire coepisset, optimus
parens ex exilio nostrum Salzbergam primo redu-
xit, sed sequenti mox anno curae et disciplinae vi-
ri non minus eruditione, quam pietate et vitae
exemplo clarissimi, M. MARTINI DREVTELII,
Argentinensis, Pastoris Brizingensis, commisit, qui
eundem ad latinas pariter, graecasque, imo et ebrai-
cas litteras, quarum amantissimus erat et peritissi-
mus praceptor, omni fide atque industria manu-
duxit. Tum vero, cum caput erigere Schola Roe-
telana inciperet, consilium iniit parens cum vene-
rando D R E V T E L I O, fama cum primis Rectoris
ad Scholasticos labores veluti nati factique, Io.

S P I E -